

comm. 2. vbi inquit: Oportet scire naturam eius cui danda est medicina, aliàs operatio nostra fiet cum timore. Hoc iem cõfirmat Princeps 4.1. cap. primo, vbi apertè innuit, quo pacto naturalis cõplexionis cognitio, & ad curam & ad prognosticum maximè sit necessaria, cuius rationes breuitatis causa prætermitto. Iudico igitur R. D. esse sine latitudine, ætatis consistentis, cum sit annorum 40. vel plurium, vt patet ex Auicena, prima primi, capite de ætatibus: complexionis verò cholericæ cum sub dominio alicuius sanguinis, & ex colore citrino cū aliqua subrubedine, ex habitudine non multum carnosa, sed macilenta, ex non macilenta corporis totius & membrorum extensione, & ex signis omnibus quæ ponuntur à Gal. secundo Tech. & secundo de Complexionibus cap. 4. nec non ab Auicenna secunda primi, cap. de Signis complexionis. Vnde tota eius complexio videtur declinare à prædominio per calidum in actiuis, in passiuis verò non ita penitus per siccum, quin in eo sit aliqua humiditas, merito cui subdominatur & participat de sanguine. Membra verò eius principalia per easdem declinant qualitates, orta enim attestantur naturam suorū principiorum, eisq; assimulantur: sed totius cõplexio resultat ex complexione membrorum principalium, & totum declinat per calidum & siccum, vt visum est, ergo & membra principalia eodem modo: habet enim cor calidum, quod apertè declarat pulsus frequentia & velocitas, audacia, ad actiones promptitudo, latitudo thoracis, quæ non sequitur ad magnitudinem spinalis medullæ, & reliqua signa posita 2. Tech. & etiam prima tertij. In passiuis verò declinat nõ tantum per succum, quia in eo reperitur aliqua humiditas: non enim arbitror in eo pulsum reperiri duriorẽ, neque ipsum post iracundiam esse valde implacabilem, sicut sunt qui cum caliditate cordis plurimam habent siccitatem. Epar similiter declinat, cum in eo multum de cholera gignatur: calidi enim epatis est plurimum de cholera generare, prima 3. & secundo Tech. vbi agit de epate. Manifestũ ergo est, quando in id ipsum concurrunt principiorũ vtiorumq; crases, totũ corpus perfectè circa eas disponetur. Nec huic obstat cerebri complexio quantumcunq; frigida, quoniam talis nõ potest contrã operari caliditati cordis, sed solum habet temperare aliquo modo eius caliditatem. Hoc tenent Medici omnes benè sentientes, hoc etiã Aristoteles secundo de Partibus animalium, cap. 7. Cerebrum præterea eius pono naturaliter esse calidæ & siccæ cõplexionis. Possem hæc probare ex signis sumptis à substantialiter inhærentibus, id est à caliditate naturaliter in eo existente, ab operationibus, quoniam agilis & promptus est in omnibus cerebri operationibus: optimè enim percipit obiecta siue species delatas à sensibus exterioribus ad sensum communem, benè etiã discurret in iudicando discursu particulari, quæ omnia indicant caliditatem cum nõ multa humiditate cerebri. dixit enim Gal. facilis intellectus subtilis substantiæ celebri indicium, tarditas verò intellectus pinguioris & grossioris substantiæ. Verũ teneo tale cerebrũ accidentãliter abundare multa

humiditate, quoniã sua caliditate attrahit multã humiditatem, quæ in stomacho eius per materiã digestionis multiplicatur: calidi enim est attrahere, 4. Meteororũ, & per cõsequens humiditate superflua repletur. Canicies præterea ante tẽpus in eo apparens arguit eandẽ humiditatem, sicut dixit Princeps 2.1. cap. de Signis cõplexionis, & Gal. 2. Tech. & partim Philolophus quinto de Generatione animalium, cap. 4. Testes etiã ac genitalia eodẽ declinãt, ideo salax nimium & ad coitũ valdè prolificius fuit, irritata virtute appetitiua ab immoderata caliditate. Quantũ verò ad stomachũ, qui est mēbrum deseruiens principalibus, arbitror ipsum esse frigidæ cõplexionis: hoc declarat melior eius appetitus quã digestio. dixit enim Gal. 2. Tech. frigidus quidẽ venter ad appetendum bonus, ad digerendũ verò nõ bonus, maximè cibos frigidos, & difficilè mutabiles. Tene etiã eiusmodi stomachũ non parum debilẽ, præcipuè cum ipse fuerit plurimi, & inordinati coitus: sicut enim abstinentia à coitu cõfortat stomachũ, ita eius frequentia summè debilitat, 13. 3. cap. vltimo. Plurimũ verò quod in stomacho generatur est phlegma, dixit Princeps eadẽ Fen. ergo nõ est abs re quod & phlegma & multæ etiã superfuitates p viã indigestionis in eo multiplicãtur. Reliqua autẽ mēbrorum principalium naturã plerũq; sequuntur. Sic igitur inquisitione facta de ætate & cõplexione, veniam nunc ad secũdũ punctũ, scilicet quid nominis & quid rei. Quid nominis. Nomen istius aliquando sumitur pro stupore mētis, & pigritia, prout contingit quibusdã melancholicis: quãdoq; secũdũ aliquos, p somno veterinoso lōgo, quos reprobat Gal. 2. Aphor. Com. tertio. Nonnunquã pro diminuta sensus cõmunis actione & imaginatione, & etiã motiue propter malã cõplexionẽ frigidã existentem in parte anteriori cerebri, & est via ad subeth: aut in posteriori, & est via ad congelationem vel lethargiam. Sæpius etiam hoc nomen Stupor est synonymum cum paralyti, vt ponit Auicenn. cap. de Stupore, & tandem hoc idem nomen significat diminutionem sensus tactus: & hoc nomine nuncupanda est dispositio, de qua præsens est sermo. Quid rei, habetur per cognitionem qualitatis formæ & essentiæ: & quamuis ægritudinis multa sunt accidentia, tamen nõ possunt discerni nisi per effectus & proprias descriptiones. Omissa autem definitione posita à Galeno & Rhasi primo continentis & Serapione primo Breuiarij, accipiam definitionem datam ab Auicenna secunda tertij, cap. de Stupore, dicens: Stupor est morbus officialis, faciens euenire in sensu tactus nocumentum aut destructiõnẽ, si stupor est fortis: & sic stupor idem est quod paralytis. aut enim diminutionem sensus affert, si est debilis, quoniã virtus sensibilis nõ solũ phibetur, sed etiã motiua. & hoc est quod in aliquib. reperitur stupor, vel diminutio sensus tactus, & nõ in sensu motus, propter diuersitatem neruorum motus & sensus. Ex hac definitione assignat Princeps immediatã causam stuporis, quæ est phibitio non totalis transitus spiritus ad membra sensibilia, sicut totalis phibitio spiritus transitus dicitur paralytis vel mollities aut resolutio. Vtrã

Causa immed.
directa Stupo.
ris.